

D e

**Aula regia Susorum,
causa interitus
regni Persarum antiqui primaria.**

Ξεινικὰ δὲ νόμια Πέρσαι προσίενται ἀνδρῶν μάλιστα.

Herodot. I. 135.

Attingentibus nobis historiae libros vel strictim facile apparet, nullum neque antiqui, neque novi mundi, quod amplitudine, potentia, opibus cum Persico regno possit conferri, tam brevi collapsum esse, quam antiquum illud regnum Persarum. Regnum enim a Cyro conditum, a Cambyse, Dario, Xerxe magis magisque auctum, ab Indo usque ad Istrum flumen, a Lybiae desertis usque ad Iaxartem patebat, itaque „rex regum“ Susorum sceptro nixus ferreo dominatur et in Asiae et in Africae gentes secumque portat catenas in Europam, quibus liberarum civitatum cives, qui ejus majestatem adorare eique terram et aquam dare recusent, vinetos Susa abducturus est. Graecorum et Phoenicum navibus ponte effecto Asiam jungit cum Europa, quo exercitus barbara gens trajiciat, Graecis servitutis jugum impositura. — Permagni regni fertile solum, quaecumque ad hominum victum necessaria erant voluptatique inserviebant, effundebat. Terra ipsa quum maximis maribus, ut Caspio, Persico, rubro et medio adja- ceret quumque tot navis patientibus fluviis, tot fossis concisa esset, mercatura in ea floreret frequentissima necesse erat, atque ita factum est, ut Indiae omniumque terra- rum thesauri in Persas invehentur. Postquam Cambyses Aegypto potitus est, gazae in templis deorum regumque hujus antiquae terrae palatiis coacervatae, immensa auri argentique pondera, in Persas transportata sunt, quibus Persepolis, caput Orientis, „ὄμμα τῆς Ἀσίας“, aedificata et exornata est. Immensa omnium gentium tributa in regis fiscum confluebant, quantaque copiae et pedestres et equestres comparari potue- rint, cuique elucet, qui noverit, quos et ἄντας Xerxes in Graeciam deduxerit exer- citus.

Quamvis tanta regni, de quo jam loquimur, amplitudo, potentia, opulentia copiaeque essent, tamen hoc regnum non multo amplius ducentis annis stetit quodque centum annis prius corruisset, nisi finitimi intestinis discordiis et civilibus bellis impediti essent, ne prius ipsi plagam pestiferam infligerent. Quamquam, non nego, ita visum est summo numini, ut regna oriantur, crescant, cadant, verum ubi terrarum regnum Persico, ut diximus, par repereris, quod tam brevi corruerit? Regnum enim Pharaonum per millium spatium annorum stetit; regnum Assyriorum per saecula multa florebat; orientale Romanorum imperium in tantis malis intestinis, barbaris perpetuo invadentibus, per decem circiter saecula perstitit, postquam occidentale, quod ad septingentos annos orbi terrarum imperabat, esse desiit. Quin etiam, ut plura regna tacita relinquam, Osmanorum imperium, quaequam annos amplius centum labat, adhuc est!

Igitur quisque, ut puto, qui cogitat, desiderio quodam tenebitur, causas cognoscendi, quibus haec res memoratu dignissimae acciderint. Verum quum consilii mei esse non possit, omnes causas disquirere, propterea quod tempus et paginae hujusce opusculi eas exponere me prohibent, proposui mihi, eam solam tractare, quae interitus primaria fuisse quaeque causa aliunde nusquam, nisi ab aula Susorum repetunda esse mihi videatur.

§. I.

Ανευρίσκομεν δὲ ἐπὶ ἑτι χείρους αὐτοὺς γεγονότας. τὴν δὲ αἰτίαν φημὲν ὅτι τὸ Ἐλεύθερον λῆαν ἀφελόμενοι τοῦ δήμου, τὸ Δεσποτικὸν δ' ἐπαγαγόντες μᾶλλον τοῦ προσήκοντος τὸ Φίλον ἀπώλεσαν καὶ τὸ κοινὸν ἐν τῇ πόλει.

Plato de legg. libr. III.

Genus rerum publicarum administrandarum, quo genere Persae pariter atque omnes fere orientis civitates utebantur, tyrannis fuit. Quo quidem in regni statu omnis potestas, et leges dandi et exsequendi, immo iudicis potestas penes unum dominum est, qui Graecis appellatur *δεσπότης*. Quodsi Deus ipse supremus sibi leges constituit, quibus omnia in aeternum tempus regantur, dominus contra leges statuit, quae valeant, quoad ipsius libidini lubeat.

Ejus imperio subjecti sunt servi, pariter ac fundus domini, quippe et communem et singulorum utilitatem usquequaque domini commodo esse posthabendam censere coacti, neque ullam omnino notionem de civibus civitatum Europaearum habent. Ex quo illud natura consequitur, ut parentum nihil intersit ad bonum publicum, bene quum intelligant, sese natos non esse, nisi ut solis consulant rebus domini, cui jus sit, eum odio persequi, qui vel minime ipsius voluptati obesse videatur. Quamobrem, ut recte monet Plato, et qui regunt et qui reguntur, mutuo se odio persequuntur. Hoste

externo terram patriam urgente, subjectus, utrum magis sibi consulat patriam defendendo, an hostibus succurendo, haesitat. Idcirco tyrannus subjectis confidere non potest atque, patriae periculo imminente, amore patriae principisque deperdito, ab externis auxilia petere cogitur, quasi vero externi ejus potius quam suis ipsorum rebus consulant longiusve nempe cum adjuvent, quam suis ipsorum rebus conducat. In civitatibus igitur, quae ea, quam paucis descripsi, forma imperii utuntur, dominus quasi regni cardo est, circum quem omnia se torqueant necesse est, itaque facile perspicitur, regni res secundas non minus quam adversas ex illo pendere regnaque eo majori usa esse felicitate, quo magis domini naturae bonitate, sapientia, animi fortitudine excellent, quum pariter bene ac male alicui facere in ipsorum esset potestate. Quamquam, uti regna, in quibus tyranni, qui Akbari illius Magni, fortissimi non minus quam mitissimi maximeque litteris vacantis, Indiae principis similes sunt, regunt, beata re vera praedicanda, sic maxime dolenda sunt ea, quibus imperant tyranni, qualis Nadirschah ille rex Persiae fuit, scelestissimus, qui haud scio an malignitate, immanitate, saevitia parem habuerit neminem. Jam vero transeamus ad aulam Susorum in ejusque conditionem inquiramus cuique ut cluceat, in aula illa causam interitus primariam positam fuisse. Primum de rege, regni domino, qui appellatur „μέγας“, ipso lequemur.

§. II.

Καὶ σχεδὸν βασιλεῖς ἐν Πέρσαις οὐδεὶς πω μέγας γέγονεν ἀληθῶς πλὴν γε ὀνόματι.

Plato de legg. l. III.

Rex ubi Pasargadis caput cidari fasciaque vinctus, pallio Cyri indutus reliquisque insignibus ornatus in sella regia resedit, principes ex eo inde eum non amplius ut hominem, sed quasi vivam imaginem numinis ejusdam „omnia servantis“ venerabantur. Darii enim praetor Artabanus ait, leges praeclarissimas quum multas habeant Persae, eam praeclarissimam esse, quae praescribat: *τιμᾶν τὸν βασιλέα καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα Θεοῦ πάντα σώζοντος* ¹⁾. Rex fungitur Dei vice in terra erga omne hominum genus itaque a suis deorum honoribus colitur. Qui eum adibant, non solum passis manibus capita flectebant et summittebant, sed eos etiam humi procumbere, corpora prosternere terramque osculo contingere oportebat. Quae veneratio Graecis vocatur *προσκυνεῖν*. Quicumque conveniendi regis veniam petebat, adorare eum hoc modo coactus erat. Quae quidem veneratio ab legatis etiam peregrinis postulabatur, quam qui recusassent, iis negotia aut per litteras aut per eunuchos ministrantes expedienda erant. Immo eos, qui in conspectum regis venissent quique hunc morem adorandi neglexissent, vi coacti sunt, ut adorarent. Sperthias enim et Bulis, Spar-

¹⁾ Plutarch. in Themist.

tani, ut Herodotus memorat ²⁾, Xerxi a civibus suis ob violatos contra jus gentium Darii caduceatores dediti, Xerxem, statim atque Susis in ejus conspectum prodierunt, a stipatoribus regiis adorare jussi, constanter abnuerunt; ac tametsi detrectantium capita deorsum in terram vi impellerentur, flecti tamen animis non potuerunt, ut regem venerarentur, affirmantes, a moribus et institutis patriae alienum esse, mortalem quemquam adorare, nec se ejus rei gratia illuc venisse. Athenienses hunc morem ita abhorruerunt, ut Timagoram, qui inter officium salutationis Darium regem more gentis illius adulatus esset, capitali supplicio affecerint, unius civis humilibus blanditiis totius urbis suae decus Persicae dominationi summissum graviter ferentes, ut Valerius Maxim. memorat ³⁾. Haud absimili modo Pelopidas quoque post Leutricam pugnam legatus ad Artaxerxem missus adduci nequam potuit, ut huic jugo collum subderet. At Ismenias, ejus collega, per bonum dolum quendam rationem invenit, qua posset aliud agens aliud simulans, fucum Persarum oculis facere specieque tenus, salva libertate, regem adorare. Statim enim atque in regis conspectum venit, anulum sensim digito detractum, clam et nemine animadvertente, ad pedes abjecit, quem mox jacentem sustulit, quo corporis gestu patrio Persarum mori institutoque paruisse visus est — atque omnia, quae ab rege volebat, impetravit ⁴⁾. Non minus Judaei hanc venerationem aversati sunt, ut discimus ex historia Mardochoei et Amani; attamen, opinor, Amano alia praeterea fuit causa, qua de causa odio Judaeos persequeretur, quam quod Mardochoeus adorare eum recusavit. Amanus enim oriundus erat ex gente Amalecitarum, quae ab Judaeis erat deleta ⁵⁾. Quem ad modum Macedones abhorruerint hanc adulationem ⁶⁾, postquam etiam magnus Magni Alexandri animus adeo pusillus fieri coepit, ut Persico more non salutari se, sed adorari jusserit, docet nos Curtius ⁶⁾, loco quo narrat, unum ex conjuratis, qui consilium cepissent, Alexandri occidendi, nomine Hermolaum, ei in os exprobrasse: „Persarum te vestis et disciplina delectat, patrios mores exosus es. Persarum ergo, non Macedonum regem occidere volumus et te transfugam belli jure persequimur. Tu Macedones voluisti genua tibi ponere venerarique te ut Deum. Tu Philippum patrem aversaris, et si quis deorum ante Jovem haberetur, fastidires etiam Jovem. Miraris, si liberi homines superbiam tuam ferre non possumus?“ — Atque adeo regem venerati sunt, ut: in sella regia considere, suppellectile aliqua uti, qua usus esset rex, lecticam, qua pellex aliqua ad regem ferretur, inspicere ⁷⁾, in venatione feram

²⁾ Lib. VII. c. 134.

³⁾ Lib. VI. c. 3.

⁴⁾ Aelian. var. histor. lib. I. c. 21. et Plutarch. in Artax.

⁵⁾ Flav. Josephus antiq. Jud. lib. XI. c. 6. *) Arrian. expedit. Alexandr. lib. IV.

⁶⁾ Lib. VIII. c. 7. & Justin. lib. XII. 7.

⁷⁾ Idcirco Themistocles, ne qua ei a Persis, quibus invisus erat, injuria oriretur, sub specie pellicis lecticae impositus tuto ad Artaxerxem deductus est. Plut. in Them. et Art.

ferire prius, quam rex telum misisset, capitalia fuerint facinora. Ino Artabanus, patrius Xerxis, recusavit, licet jussus a rege, ejus vestes gestare, in sella regia considerare in ejusque lecto dormire ⁸⁾). Tiribazus, sannio Artaxerxis, quum aliquando dissuto et scisso candy indutus, quem ipsi rex dono dederat, in aulam prodiisset, quumque hac re Persae, quippe laesa regis maiestate, offensi essent, mortis damnatus, nisi rex invdiam insaniae excusatione amolitus esset ⁹⁾).

Quidquid a regibus oneris imponebatur, ait Curtius, „obedienter ac pie“ sine ulla detrectatione suscipiebant, quin etiam qui regis jussu verberibus flagrisve caedebatur, gratias ei agebat: praecclare secum agi existimans, quod rex in memoria se habere eum hoc facto testatus esset. Itaque in beneficii loco injuriam ponebant ¹⁰⁾). Prexaspesne laudavit telum illud, quo ipsius filius ab Cambyse tyranno interfectus est? *) Aliud maximae erga regem observantiae argumentum hoc est: Xerxes, quum nave Phoenicia vectus in Asiam se reciperet, exortaque tempestate ingenti, nave supra modum onusta vectoribus, in discrimen adduceretur, metu percussus gubernatorem interrogavit, num omnis praecisa salutis spes esset: ille unicam superesse respondit, si multi ex vectoribus in mare sese conjecissent. Quibus auditis Xerxes ita fertur locutus: „Quum in vobis, Persae, ut videre est, regis vestri sita sit salus, quantae ea vobis curae sit, demonstrandi tempus datur.“ Quae quum dixisset, protinus illi, eum venerati, in mare desiliisse perhibentur. Xerxes, levata eo jactu nave, periculo liberatus, sospes in Asiam trajecit ¹¹⁾). Quin etiam elementa ipsa ipsi obedire vult; Xerxes eo dementiae proventus est, ut certior factus, pontem, quem in Hellesponto fecerat, tempestate dissolutum esse, Hellesponto trecenta verbera flagellis infligi et compedum par in pelagus injici jusserit, barbara et insana pronuntians haec: „O amara aqua, dominus tibi hanc poenam infligit, quod illum injuria adfecisti nil mali ab ipso passa. Et trajicies te rex, sive volueris, sive nolueris. Merito autem nemo hominum tibi sacra facit, quippe turbido salsoque flumini“ ¹²⁾). Eadem dementia ad montem Athonem, quum eum interscinderet, scripsit, cui minatur, si ipsi moram afferret, fore, ut eum subversum in mare injiceret totum ¹³⁾). Paucis: omnes et satrapae et duces et praefecti, cujuscunque ordinis et gradus erant, se ipsi servos et dicunt et a rege servi dicuntur, reginis exceptis solis,

⁸⁾ Hérod. lib. VII. c. 16.

⁹⁾ Plut. Artax.

¹⁰⁾ Brissonius de regno Pers. lib. I. pag. 24.

Hoc loco, quo primum laudo Brissonium, rerum antiquarum peritissimum, temperare mihi non possum, quin fatear, Brissonium mihi in hac mea commentatione ad plerosque fontes, ex quibus hausi, digitum intendisse. Grates sint ejus manibus!

*) Scite hac de re, loco, nescio quo, Seneca contendit: „Sceleratius telum illud laudatum, quam missum.“

¹¹⁾ Herodot. lib. VIII. c. 36.

¹²⁾ Herodot. VII. 33 — 36.

¹³⁾ Hall. Welthist. tom. IV. §. 276.

Imo regis frater ipsius δούλος habetur ¹⁴⁾. Persae δουλείαν μιᾶλλον ἢ ἀλκὴν μεμεληκότας, Xenophon scribit ¹⁵⁾. Agesilaus dicebat, Asianos ἐλευθέρους μὲν κακοῦς εἶναι, δούλους δὲ ἀγαθοῦς ¹⁶⁾. Quin etiam qui eum rege colloquens manus manicis non inseruisset, interficiebatur ¹⁷⁾. Unde et Cicero grave imperii jugum regnum appellat, „non modo Romano homini, sed ne Persae quidem cuiquam tolerabile“ ¹⁸⁾. Periculosum erat cuique, qui suaderet aliquid, quod, licet omnium salutis utilissimum esset, a regis voluntate dissentiret, quum qui regi repugnasset, morte mulctaretur. Xerxes Graeciae bellum illaturus, adhibitis Asiae principibus: „Ne viderer, inquit, meo tantummodo usus consilio, vos contraxi. Ceterum mementote, parendum magis vobis esse, quam suadendum“ ¹⁹⁾. Artabanus gravissimis de causis bellum dissuasit, quod Graeciae inferendum dominus statuerat, atque necatus esset, nisi Xerxis patruus fuisset ¹⁹⁾. Charidemus a Dario Codomanno, quamvis miti esset ingenio, occisus est, quod regi bellum Graecis inferendum dissuaserat ²⁰⁾. Ut vero reges essent venerabiliores, a vulgi consuetudine remotos esse debere, censebant, quam ob rem perraro rex sui copiam populo faciebat. Quasi numen divinum, cuius imago in aulae atriis adorabatur, in adyto palatii residebat, neque cuiquam, ne uxoribus quidem, nisi vocatis, eum adire licebat. Qui contra hanc legem commisisset atque in ejus conspectum venire ausus esset, capitis confestim damnabatur, nisi rex virgam auream, signum veniae, porrexisset. Cui rei argumento est historia Estherae ²¹⁾. Reges, paucis ut complectar omnia, plane legibus soluti erant; illis quidquid libebat, licebat, ne sanctis quidem Persarum legibus et institutis prohibebantur, quominus, quidquid velent, facerent. Quis enim est, qui Cambysis scelesti ac nefaria ignoret facinora? In sano sororis captus amore, quum eam vellet in matrimonium ducere quumque nosset, antea neutiquam apud Persas moris fuisse, sorores ducere, interrogavit legum interpretes, qui βασιλέως δικασταὶ vocabantur, num liceret suam sororem ducere? Hi respondent: nullam se reperire legem, quae praescribat, ut frater sororem ducat, aliam vero se reperisse, quae statuatur, licitum esse regi facere, quidquid velit ²²⁾.

§. III.

Τῷ Πέρσῃ πᾶσαν γῆν περιέρχονται μαστεύοντες τὴν ἀνὴρ ἡδέως πίῳι, μυρίοι δὲ τεχνῶνται τὴν ἀνὴρ ἡδέως φάγοι.

Xenoph. in lib. de Agesilai laudibus.

Deum igitur talem, qualem descripsimus, pane et nasturtio non contentum, sed deficiente nectare et ambrosia, coena lautissima nutriendum et alendum fuisse, per se patet;

¹⁴⁾ Xen. Anab. I. IX. 29. ¹⁵⁾ Id. Hellen. IV. ¹⁶⁾ Plutarch. in apophth. ¹⁷⁾ Hall. Welth. §. 116. ¹⁸⁾ Cic. ad Attic. lib. X. ¹⁹⁾ cf. Brisson. lib. cit. p. 24. ²⁰⁾ Herod. VII. 11. ²¹⁾ Curtius. lib. III. c. 2. ²²⁾ Esther. c. 4. et 5. ²³⁾ Herod. III. 31.

itaque totum regnum pervenabantur, ut conquisitissimis epulis mensae regum exstruerentur. Dominus ac possessor totius regni non fruitur, nisi optimo quoque et praestantissimo, frugum instar primitiarum „*παρετίθεντο δ' ἐπὶ τῆς τραπέζας τοῦ βασιλέως ὅσα ἢ γῆ βρόμματα φέρει, ἢς ἄρχει βασιλεὺς, ἀφ' ἑκάστου ὅσον ἀπαρχήν.*“ Quum Xerxes frugibus ex terris, quae non essent in ejus ditione, importatis frui aspernaretur, delicatas ficus Atticas quum gustasset, cupido eum invasit, hujus terrae potiundae ¹⁾. Aquam, ut Herodotus memorat ²⁾, non bibit, nisi Choaspiam; quae aqua igitur a poetis regia lympha vocatur. Fluvius ille Choaspes, aquam vehens delicatissimam ³⁾, urbem Susa praeterfluebat. Haec aqua in vasa argentea ingesta, quaecunque rex iter faceret, multis quadrigis vecta regem sequebatur. Idcirco Maximus Tyrius de Diogene loquens ait: „*ἤδετο ταῖς κρήναις πανταχοῦ, ὡς ὁ Καμβύσης Χοάσπη μόνω.*“ Idem alio loco: *Χορήγουσι δὲ καὶ οἱ πόταμοι ταῖς βασιλέως ἠδύνας. Πάκτολος χρυσόν, Νεῖλος πυρὸν, Χοάσπης ὕδωρ* ⁴⁾. Xerxes loco quodam deserto sitibundus exclamavit: „Numne quis adesset, qui haberet aquam Choaspiam, quam regi daret? Quum aliquis inventus esset, qui aliquid haberet hujus aquae, rex eam, quamvis esset putris, laetus hausit exclamans, se periisse siti, nisi aquam accepisset: „*ὅτι ἂν ἀπώλετο δίψῃ, εἰ μὴ ἐκεῖνο εὐρέθη*“ ⁵⁾. Etsi igitur, ut ex iis, quae diximus, constat, reges hanc potissimum aquam bibisse, tamen contendere non potest, eos non bibisse, nisi illam solam. Apud Athenaeum enim mentio fit aquae ejusdem, quae dicebatur aurea, quam bibere nemini, nisi regi et ejus filio natu maximo liceret, mortis poena proposita ⁶⁾. At quis credat, hoc spectare ad flumen Choaspem, ex quo haud dubie et boves et homines hauserint non minus quam rex? Praeterea historia docet aperte contrarium. Darius enim, quum in fuga aquam turbidam et cadaveribus inquinatam bibisset, negat, se unquam bibisse jucundius (nunquam videlicet, ait Cicero ⁷⁾, sitiens biberat). Eadem narrantur de rege Artaxerxe ⁸⁾. Ut autem aqua non omni, ita nec vino quolibet, sed eo tantum Chalibonio, e Syria advecto, utebatur, ut Strabo et Athenaeus testantur. Quod respexit Plutarchus de fortitudine ac moderantia Alexandri commemorans: *οὐδὲ τρυφαὶ Μηδικὰ καὶ τραπέζαι καὶ γυναῖκες οἷδὲ χαλυβόνιος οἶνος*. Pane triticeo vesci rex solebat, non tamen ex quovis triticeo sed eo, quod ex Aeolide advehabatur ⁹⁾. Sale non alio, nisi Ammoniaco utebatur, ex deserto Jovis Ammonis in Lybia advecto ¹⁰⁾. Itaque perpetuo hominum catervae in ea re sola erant occupatae, ut regni totius res ad epulandum exquisitissimas mensae regiae compararent. Ceterum coenebat Xerxes singulis diebus semel tantum; qua de re Abderitae sibi gratulari poterant, quum Xerxes bellum Graecis illaturus ab illis splendida et opipara acceptus esset coena (quaecunque enim rex iter faceret, coena excipi solebat), quum tantum

¹⁾ Athenaeus *Δειπνοσοφ.* lib. XIV. §. 652. ²⁾ I. 188. ³⁾ Curtius V. II. 9. ⁴⁾ Brisson. p. 60. ⁵⁾ Aelian. XII. 40. ⁶⁾ Athenaeus XII. §. 515. ⁷⁾ Tusc. quaest. V. 34. ⁸⁾ Plutarch. Artax. ⁹⁾ Herod. II. et Strabo. XV. ¹⁰⁾ Athenaeus.

sumptum, si bis epularetur, ferre non potuissent ¹¹⁾. In ejusmodi enim coenas sumptus maximi fieri solebant, ita ut interdum triginta et plura talenta impenderentur. Rex Persarum cum virorum milibus quindecim coenabat et in coenam quadraginta talenta impendebantur ¹²⁾. Ad quas coenas exstruendas sexentis opus fuisse ministris, per se patet. Qua luxuria ne in bello quidem abstinebant. Inter Darii Codomanni enim impedimenta, quae, capta Damasco, in Parmenionis potestatem venerunt, inventi sunt, ut refert Athenaeus ¹³⁾, coqui ducenti septem et septuaginta; mediastini, qui ollas perfricarent et abstergerent, viginti novem; lactarii tredecim; cellarii septuaginta septem; unguentarii quadraginta; pellices tibicinae trecentae novem et viginti, et qui coronas plecterent, sexaginta sex alique id genus gulae et luxus artifices plures. Ut plerumque rex solus coenabat, interdum tamen uxor et mater et aliquot ex liberis et cognatis cum rege coenabant. Nonnunquam etiam aliquot ex amicis coena regia digni habebantur; inter coenandum vero accubitus et consessus ordo severe observabatur, ita ut alii foris, alii intra triclinium, alii intus cum rege coenarent, velo tamen interjecto, ita ut regem intueri non possent, licet ab eo conspicerentur ¹⁴⁾. Verum ab hujusmodi epulis condimentum earum praecipuum aberat, libertas: Capite siquidem demisso, oculis in terram dejectis, convivam oportebat cibum capere, ne quis eunuchorum cum in aliquam ex pellicibus, quae aderant, oculos conjicientem animadverteret ¹⁵⁾. Conclave, ubi rex coenabat, mulierum vocibus et cantu symphoniae et vocibus musicis personabat; nam reges in maximis deliciis habebant tibicinas, fidicinas, psalterias, ut Athenaeus testatur, quae mulieres Graecis *μουσουργοί*, Persarum patrio sermone Zarba, sive *βάρβα* ¹⁶⁾ vocabantur, atque regis aures cantibus detinebant. Quarum mulierum pellicum una pars interdiu somniabant et noctu canendo et psallendo in atriis regis transigebant, ut rex dulces capere posset somnos ¹⁷⁾. Nonnunquam etiam reges magnifico et lauto convivio Satrapas purpuratosque suos excipiebant. Quale convivium Artaxerxes I. proceribus suis dedit magnificentissimum. Postquam enim Artabanum eum, qui patrem Xerxem interfecerat, occidit fratremque Hystaspem devicit, tertio anno imperii sui, hostibus devictis, quum existimaret, se per reliquum tempus, nemine reluctantante, regnaturum esse, gaudio perusus, omnes regni proceres convocavit ad grande convivium in centum octoginta dies ¹⁸⁾. Quibus peractis, toti populo epulas dedit in septem dies. „Fecit itaque Assuerus ¹⁹⁾ grande convivium (ut hodieque can.

¹¹⁾ Herodot. lib. VII. 120. et Athen. IV. ¹²⁾ Ctesias in Persic. 50. ¹³⁾ Lib. XIII. §. 557. ¹⁴⁾ Athen. lib. IV. §. 145. ¹⁵⁾ Lucianus in libro de mercede conductis testis. ¹⁶⁾ Suidas. ¹⁷⁾ Athen. lib. XII. ¹⁸⁾ Hall. Welth. tom. IV. §. 314. & Esther. c. I. ¹⁹⁾ Persuasissimum mihi est, hunc Assuerum neminem alium fuisse, nisi Artaxerxem nostrum I., Xerxis filium, qui Graecis *μακρόχειρ*, Latinis Longimanus vocatur, neque mihi temperare possum, quin fatear, me omnino consentire iis, quae hac de re Comes de Stolberg (Religionsgesch. tom. IV. 24.) hunc ad locum disputat de Assuero. Ex meo tantum addo: Praeter Vastham et Estheram sacrae scripturae, conjuges Assueri nullibi fit mentio uxoris alicujus justae

tat ecclesia) cunctis principibus et pueris suis, ut ostenderet divitias gloriae regni sui⁴. Qui vero hujus epuli apparatus magnificentissimum accuratius nosse sitiet, hauriat ex fonte, quo non est alius purior, sacrae scripturae evolvatque librum, qui inscribitur Esthëra. Ad quas solemnes epulas interdum etiam uxores justae invitabantur, ut doceatur historia ejusdem Esthërae. Vastha per septem eunuchos invitabatur, ut ostenderet principibus pulchritudinem illius, perpulchra enim erat. Illa vero sive superbia, sive decore detenta, paternos causata mores venire noluit. Ira inflammatus et vino reginam Vastham, suadentibus principibus et juris consultis, repudiavit. Vasthae repudio Esthëra dignitatem suam debuit. Ceterum magnificentia atque apparatu regum epularum atque earum deliciis is, qui accuratius institui atque sibi salivam movere volet, adeat Athenaeum.

§. IV.

Imperium muliebre nusquam prodest.

Jamjam transitum faciamus ad conjugia regum eorumque conjuges. Illae enim non solum regi omni luxu atque deliciis diffluenti imperabant, verum etiam maximam vim ad omnes regni res administrandas eamque perniciosissimam habebant, atque haud scio an nulla res alia plus contulerit ad regni interitum, quam mulierum imperium, ut fuit Susis. Ubi enim gentium inventae sunt mulieres, quales reginas in aula Susorum fuisse accepimus? Illae namque nil aliud agebant, quam ut suis ipsarum animi libidinibus: invidiae, superbiae, regnandi et ulciscendi cupiditati servirent, non solum unius, verum etiam regni totius salute posthabita. Quis est, qui non audierit de crudelitate, regnandi et ulciscendi cupiditate vehementissima reginarum Parysatidis vel Amestris?

Jam vero initium faciamus a nuptiis regiis. Ut apud omnes populos ad hodiernum usque diem orientis mos est, plures uxores in matrimonium ducere, ita etiam Persarum reges, stirpis, ut narrant, regiae propagandae causa ducebant uxores justas multas, multo etiam plures habebant pellices¹). Ut alios taceam brevitate studio, Darius, Hystaspis filius, duas filias Cyri, Atossam viduam et Artystonam virginem, praeterea Parmyn, Cyri neptem et hoc amplius Otanis gnatam eodem tempore in matrimonio habuit²). Quae uxores autem *φιλόκοσμοι δεινῶς*, ut Aelianus scribit³), supra modum cultus mundioris et ornamenti erant amantes, ita, ut in eas res ingentes pecuniae summae penderentur, adeo, ut regiones magnae illis ab rege attribuerentur, ex quarum reddito sibi mundum pararent. Quod innuit Cicero⁴): „Solere, ajunt, barbaros reges Persarum plures uxores habere, his autem uxoribus civitates attribuere hoc modo: haec

regis Artaxerxis I., quod mirum videtur in tam celebri rege; nam Amytis, de qua mentio fit apud Ctesiam, erat conjux Megabyzi et non Artaxerxis (vide Ctes. fragm. p. 67. a Müllerero illustrata).

¹) Herod. I. 135. ²) Herod. III. 88. et VII. 78. ³) Var. hist. XII. c. 1. §. 40. ⁴) in Verrem.

civitas mulieri redimiculum praebeat, (*εἰς τὴν ζώνην*, quae unius prope diei iter patuisse dicitur), haec in collum; haec in crines; ita populos habent universos non solum conscios libidinis suae, verum etiam administratos“. Nomina quoque harum rerum regionibus, ex quibus sumptus ad ornatum et mundum suppeditandum redibant, indebantur. Etenim regionem, quam incolae Zonam reginae, aliam, quam calyptram nuncuparent, aliaque insuper loca lata et feracia fuisse, quae ab unaquaque mundi muliebris specie appellationem sortirentur, scriptores antiqui testantur. At si quis vestrum, homines Christiani forte miretur, reges uno tempore duas vel plures uxores in matrimonio habuisse, aversatione quadam implebimini, quum narro, illas uxores plerumque cognatas consanguineasque fuisse. Cyri filius Cambyses, ut supra diximus, sororem germanam duxit, qua repudiata, alteram. De Dario memoratum est; Parysatis et conjux et soror erat Darii Nothi ⁵⁾. Ochus, qui postea Artaxerxis III. vocabatur, res novas moliens, Atossae sorori matrimonium pollicitus est, licet eam pater in matrimonio haberet; fuit etiam fama, occultum ei stuprum cum sorore Atossa, etiam vivo patre, intercessisse ⁶⁾. Xerxes deperit atque deperdidit Artayntam, filii sui Darii conjugem fratrisque sui Masistae filiam ⁷⁾. Teriteuchmes, frater reginae Statirae, conjugis regis Artaxerxis II. Mnemonis, amore capitur pulchrae sororis suae Roxanae germanae, qua ut potiretur, consilium cepit, justam suam uxorem Amestrin necandi ⁸⁾. Amestris autem erat filia Parysatidis, regis conjugis; inde ortum est odium inexpiabile Parysatidis contra totam familiam Statirae, quod non acquievit prius, quam tota familia exstirpata, Statiram denique ipsam nulum veneno necasset, ut infra docebimus. Arsanes, Darii Nothi nepos, in matrimonium duxit sororem germanam Sysigambin, ex quo connubio natus est Darius Codomannus ⁹⁾. Verum enim vero id, quod nullam fidem haberet, nisi historiae argumentis multis probaretur, hoc est, etiam patres (honus sit castis auribus!) filias nuptiis sibi adjuxisse. Rex Artaxerxes II. duas deinceps filias naturales in matrimonium duxit, ut Plutarchus testatur in vita hujus regis. — Praeter has legitimas uxores reges libidini laxissimas habenas dantes innumeras pellices, greges, ut Curtius ait, pellicum habebant; multitudini enim *παλλακίδων* sola regum libido modum faciebat. Artaxerxes I. ex pellicibus XVII., Artaxerxes II. adeo ex pellicibus CXV filios suscepit ¹⁰⁾, qui dicuntur spurii. Darii Hystaspis filii regiam pellices CCCLX implebant. Quam ob rem reges conquiri formosissimas virgines totius regni easque Susa in conclave mulierum deductas abdi jubebant ¹¹⁾. Quae quum per quoddam tempus, saepe, ut ex Estherae discimus historia, per duodecim menses, ita, „ut sex mensibus oleo ungerentur myrrhino et aliis sex mensibus quibusdam pigmentis et aromatibus uterentur“ ¹²⁾, praeparatae essent, ad regem ordine certo adducebantur. Hae mulieres regem non

⁵⁾ Ctesiae. fragm. Pers. c. 44. et Hall. Welthist. IV. §. 327. ⁶⁾ Plutarch. Artax. ⁷⁾ Herod. IX. 108. ⁸⁾ Hall. Welthist. IV. §. 336. ⁹⁾ eodem, §. 388. ¹⁰⁾ Ctes. Pers. c. 44. et Justin. lib. X. 1. ¹¹⁾ Esther. c. II. ¹²⁾ eodem.

solum domi, in venatione, verum etiam, ut jam supra ostendimus, militiae comitabantur. Domi in gynaeceo separatim inclusae ab Eunuchis severe custodiebantur¹³⁾. Quum vero hac occasione miseri hujus hominum generis tertii mentio fiat, quumque spadones fere in omnibus rebus tam domesticis, quam publicis administrandis plurimum valerent eorumque auctoritas maxima esset apud regem et reginas, alienum a proposito argumento meo non erit, perpauca huic sectioni de spadonibus inserere.

§. V.

. Seu Persica, ferro,
Luxuries vetuit nasci lanuginis umbram.

Claudianus in Eutropium.

Cui potissimum rei hi homines, de quibus non solum apud Persas, sed etiam apud omnes populos Asiae inde a primis temporibus, jam tempore, quo Semiramis regnabat, mentio fit, in aulis regni inservierint, nemo ignorat *). Non solum custodiebant pellices, januas, cubicula, sed etiam educabant¹⁴⁾ liberos regum a prima juventute ad septimum usque annum; illis reges potissimum confidebant¹⁵⁾, eorum secretorum erant arbitri domi militiaeque, „grex, ait Curtius loco citato, haud sane illis gentibus vilis“. Ut et plurimum prodesse, ita et nocere in eorum potestate erat. Conjuraciones ab iis et fieri et detegi, immo ab iis reges creari et amoveri, historia docemur; paucis: nulla res vel minimi momenti in regia administrata est, cujus administrandae participes non fuerint; itaque ad regni ruinam plurimum contulere. Licet mutilati hi homines hominum injuria voluptatis libidine carerent, mente tamen atque facultate, de sorte sua misera cogitandi eamque cum sorte aliorum comparandi privari nullo modo poterant. — Itaque in locum amissae et deperditae libidinis aliae animi cupiditates eaeque pessimae succedebant, ut avaritia, regnandi et ulciscendi cupiditas, invidia, perfidia aliaeque supra quam quisquam animo fingere possit. Quarum rerum quum ea, quae progrediente haec disputatione exponam, tum haec sint testimonio:

Bagapates eunuchus multum pollens apud Cyrum et Cambysem post mortem hujus regnum tradit Mago; Bagapatae opera conjurati illi septem illustres in aedes regias ingressi Magum, cum pellice dormientem, confoderunt¹⁶⁾. Artabanus chiliarchus occidit Xerxem I. dormientem in cubiculo, in quod eum spado Mithridates induxerat¹⁷⁾. Mardocheus ducis eunuchos, qui contra vitam Assueri (s. Artaxerxis I.) conjuraverant, regi detexit¹⁸⁾. Spado Pharnacyas Sogdianum in cubiculum intromisit, in quo Xer-

¹³⁾ Brisson. de regno Persarum p. 78. *) Quibus rebus omnibus inservirent, hoc loco pudoris gratia exponi non potest; id qui accuratius nosse studebit, adeat Brissonium p. 218.

¹⁴⁾ Curtius III. 3. ¹⁵⁾ Xenoph. Cyr. c. VII. 5. ¹⁶⁾ Ctes. Pers. c. 13. et 14. ¹⁷⁾ Hall, Welth. §. 311. ¹⁸⁾ Esther c. VI.

xes II., legitimus Artaxerxis I. successor, dormiebat et a Sogdiano fratre spurio occisus est ¹⁹⁾. Quin etiam Artoxarem quendam spadonem, qui plurimum apud regem Darium Nothum valebat, invasit cupido, regni potiundi; quod quum fieri non posset, quia eunuchus erat, uxorem duxit eique imperavit, ut barbam et mystaces ipsi conficeret, idque ut vir esse existimaretur. At per hanc dolo patefacto, comprehenditur et Parysatidi traditus interficitur ²⁰⁾. Bagoas, spado Aegyptius, id quod omnem fidem excedit, postquam regem Ochum, sive Artaxerxem III. veneno necavit, totam regiam stirpem interemit praeter Arsen, regis necati filium natu minimum; hunc in solio collocavit, ut scilicet ejus vicibus fungeretur, neque ei quidquam defuit ad regiam potestatem, nisi regis nomen. Verum enim vero quo malignitatis et iracundiae iste homo progressus est? Audite lectores et stupescite! Rex Ochus, capta Aegypto, deum Aegyptiorum Apin necaverat ejusque sanctam carnem famulis suis vescendam dederat; ubi, uti diximus, regem necavit, non minus sacris paternis deditus, quam ulsciscendi cupidine flagrans, cadavere ejus clam retento, alicujuspiam corpus mortui Persepolin, sepulchrum regum Persarum, misit, regis corpus in frustra dissectum vescendum dedit felibus; ex ejus ossibus capulos confecit ²¹⁾. Pariter regem Arsen, tertio anno regnantem, quum ex eo ultionem timeret, cum tota familia occidit Dariumque Codomannum, ultimam numerosae aliquando stirpis prolem, in solio collocavit. Quum vero et illum, qua erat crudelitate, interimere vellet, Darius satis mature de eunuchi consilio certior factus, cum ad se accessivisset eumque poculum venenatum, ut hauriret, coëgit. Sic interiit Bagoas, omnium spadonum sceleratissimus ²²⁾. Plura quidem narrare possem de hisce hominibus deque damnis, quae regno contraxerint quantumque apud ipsum Alexandrum M. Bagoas quidam valuerit ²³⁾, sed satis mihi, quoad meum propositum attineat, dixisse videor, tantummodo audiamus in fine hujus interpositionis, quid Alexander Severus, Romanorum imperator, in quorum imperium pariter hoc genus hominum inserpserat, senserit, ut discimus ex Lampridio in vita Alexandri Severi: „Eunuchos nec in consiliis, nec in ministeriis habuit, qui soli principes perdunt, dum eos more gentium aut regum Persarum volunt vivere, qui a populo etiam amicissimum semovent principem, qui internuntii sunt, aliud quam respondetur, saepe referentes, claudentes principem suum et agentes ante omnia, ne quid sciat“. Et alio ejusdem libri loco narrat, noluisse Alexandrum, ab aulicis suas vendi dispositiones, quod factum fuerat sub Heliogabalo, quum ab eunuchis omnia venderentur; quod genus hominum“, inquit, „secreta omnia in aula nosse cupiunt, ut soli scire aliquid videantur et habeant, unde vel gratiam vel pecuniam requirant“ ²⁴⁾. Jam vero revertamur ad eam rem, qua de re paragrapho proxime antecedenti agere inceperamus.

¹⁹⁾ Hall. W. §. 324. ²⁰⁾ Cts. c. 53. ²¹⁾ Hall. Welth. §. 386. ²²⁾ Diod. Sic. l. XVI et XVII.

²³⁾ Curtius l. X. c. 1. ²⁴⁾ Brisson. p. 138.

§. VI.

Οὐδαμῶ γοῦν πλείους ἢ ἐκεῖ οὔτε ἀποθνήσκουσιν οὔτε διαφθείρονται
ὑπὸ Φαρμάκων.

Xenophon. Cyrop. I. VIII. c. 8.

De nuptiis regniis, de justis uxoribus deque grege pellicum, regum voluptatibus inser-
vientium, satis dixisse mihi videor. Quodsi porro de damnis loquemur, quae iis rebus
regno contracta sint, inprimis reginas, videlicet regis matrem regnique sociam ob ocu-
los habebimus. Namque hae solae, opitulantis eunuchis, regi ab interioribus consi-
liis erant, perraro etiam provinciarum adhibitis praefectis idque solummodo cum eo, ut
in se, proposita mortis poena, reciperent, ea quae suaderent, bene esse eventura. Qua-
rum autem mulierum invidia, quum earum commoda consiliave haud raro essent diversissima,
aula in factiones scinderetur necesse fuit; ita necessario odium mutuum, dissentiones, technae
cujuslibet generis, insectationes, caedes, imo bella, quum alius ab alio staret partibus,
non solum domestica, verum etiam totum regnum dilacerantia ejusque ruinam trahentia
exorta sunt. Quamquam rex ut miti ingenio praeditus saepenumero iis, quae mulieres
ipsum rogassent, repugnaret, tamen mulieres regem imbecillum tam diu precibus in-
stando fatigare sciebant, donec, occasione quadam data, quaecumque vellent, ab ipso
impetrassent. Quae quidem occasio, quum permultis diebus, tum maxime die regis na-
tali data est, quo quidem die rex precibus reginarum, quidquid petiissent, modo fieri
posset, deesse non poterat. Sed loco sermonum facta probent ea, quae dixi. Phaedy-
ma, Otanis principis Persici filia, maritum regem Pseudo-Smerdin septem Persis illis
illustribus prodidit, quo factum est, ut rex interficeretur ¹⁾. Xerxes, Darii Hystaspis
filius, licet natu minimus et moris esset, ut natu maximus in regno succederet, opera
matris reginae rex factus est ²⁾. Darius, Artaxerxis II. regis filius, a patre, quum rex
designatus esset, pellicem quandam Aspasiam petiit eamque haud invitam; quum vero
pater mulerosus, quem promissi poenitebat, pellicem, licet eam filio die festo spon-
disset, recusasset, filius conjurationem conflavit contra patris vitam cum quinquaginta
fratribus. Qua detecta, designatus rex poenas dedit parricidii ³⁾. Xerxes amore uxoris
fratris sui Masistae capitur. Quae quum ipsi obsequi nollet, Dario filio Masistae filiam
Artayntam connubio junxit, ratus, si hoc fecisset, facilius se matre potiturum. Muta-
to vero amore uxorem Darii filii deperiit et deperdidit, ut supra jam commemoravimus,
Artayntam. Proh dolor! Amestris Xerxis I. uxor, mulier ulsciscendi cupiditate fla-
grantissima, Xerxi amiculum texerat ingens, varigatum et spectatu dignum donoque ei
dederat. Quo amiculo rex delectatus eoque indutus convenit Artayntam, quae quum
eo non minus delectataretur, quam ille, a rege petiit, ut ipsi illud daret; rex vero

¹⁾ Herod. III. 69. ²⁾ Herod. VII. 3. ³⁾ Plutarch. Artax. et Justin. I. X. c. 1 et 2.

quamquam diu dare recusabat, Amestrin inactuens, tandem quum Artaynta non absteret a precibus, dedit.

Quo munere Artaynta supra modum gavisam amiculum gestabat eoque superbiebat. At Amestris, comperto, non tam in muliereulam illam odium, quam in ejus matrem concepit, Masistae uxorem eique, ut quae unice in culpa esset, exitium meditata est. Diem itaque observavit, quo Xerxes regiam coenam, quam dicebant, erat propositurus, quae parabatur natali regis die (Persico sermone Tykta dicebatur), quo die lex vetabat, regem negare, quidquid ab illo regina postularet. Hoc itaque die petiit a Xerxe, ut sibi traderetur uxor Masistae. Rex, quamquam invitum, postremo indulget. Quo facto Amestris celerrime, priusquam de re certior fieret aliquis, accitis regis satellitibus, uxorem Masistae misere dilacerat: praecisas mamillas canibus projicit et nares et aures et labia, denique ubi linguam excidit, domum eam dimittit indigne ita dilaniatam. Masistes vero, conspecta uxore ita mutilata, consilio a rege deficiendi (quis vitio vertat marito?) cum filiis inuito, protinus in provinciam suam Bactrianam proficiscitur, bellum et quanta maxima posset mala regi illaturus. — Rex vincit et fratrem cum filiis interficit. Sic bella civilia mulierum iracundia coorta sunt *). Artaxerxes II. regnante, rebellio facta est ab Aegyptiis, ad quam sedandam quum missi essent regis frater, Achaemenides, Amestris filius et Megabyzus, satrapa Syriae, qui habebat regis sororem in matrimonio Amytin, Achaemenides cecidit in Aegypto, bellum vero denique confectum est a Megabyzo, summo tum temporis Persarum duce, quum Inaro regi Lybiae et Graecis, qui Aegyptiis auxilium tulerant, fide interposita, eorum vitae nihil nocitum iri, persuasisset, ut sese ipsi dederent. Quo facto Inarus et Graeci, auctores qui fuerant defectionis, Susa sunt abducti, fide, quam Megabyzus interposuerat, freti. At regina mater Amestris, interempti filii vicem dolens, indignam rem fore rata, nisi Inarus et Graeci sibi poenas darent, eos a rege poposcit †). Rex vero, intelligens, fidem a Megabyzo datam religiosissime servandam esse, quum primo matri non cederet, ira incensa quinque per annos regi instando molesta fuit, donec ejus precibus tandem indulset. Rex Inarus tribus crucibus suffixus, et L Graeci securi percussi sunt. Megabyzus vero, qui aliter fieri potuit? magno dolore et luctu affectus, abijt Susis in provinciam suam, a rege desciscit, totumque per regnum in longum tempus belli flamma ardet. Bis splendidissima victoria a regis copiis innumeris reportata, Megabyzus postremo non alia ratione, nisi uxore Amyti et cognatis adhortantibus, adductus est, ut denique cum rege pacisceretur. Sed sat de Amestri; transeamus ad reginas Parysatidem et Statiram, Hidarnis satrapae filiam, Artaxerxis II. Mnemonis, ut diximus, conjugem. Teriteuchmes, Statirae frater, sororis germanae Roxanae amore captus, uxorem suam Amestrin, Parysatidis filiam, necare rebellionemque, ut Roxana, nemine reluctan-

*) Herodot. IX, 109 - 114. †) Ctesias in Pers. c. 35, 36, 39.

te, frui posset, regno conflare statuit. Sed rex Darius II., re comperta, negotium dat Udiasti cuidam, qui familiariter Teriteuchme utebatur, ejus interficiendi ⁵⁾. Quo negotio confecto, rebellio concitata est, ejus princeps filius Udiastis ipsius, Mithridates, armiger et amicus necati, fuit. Seditione sedata Parysatis ira flagrans, quod Teriteuchmes tali ignominia ipsius filiam afficere conatus erat, Teriteuchmis et matrem et sorores et fratres vivos terra obrui, Roxanam vero vivam secari jussit, nec Parysatidis crudelis animus flexus est prius, quam, ut jam supra innuimus, totam Hydarnis familiam praeter Statiram et publice et clam idque veneno extirpasset. At Statira, ut conjux rex factus est, a rege facile impetravit, ut ipsi Udiastes traderetur, poena afficiendus. Ei linguam exsecari et a tergo extrahi jussit: Sic moritur Udiastes. Inexaudita sunt facinora Parysatidis Darii Nothi conjugis, mulieris haud scio an nulla fuerit illa crudelior, qua quidem crudeliorem, immaniorem iraeque explendae cupidior, nullam unquam in regio solio consedis, certo certius est. Quum regem adducere non posset, ut Cyrum, natū minorem filium, delicias matris, successorem regni designaret, Cyrum, quocumque poterat modo, maximo non solum regis fratris, verum etiam totius regni damno fovit. Cyrus enim, quum regi fratri die ipso, quo inauguraretur, mortem machinatus eamque ob causam capitis, conjuratione Tissaphernis opera patefacta, damnatus esset, Parysatidis precibus non solum morte liberatus, verum etiam in provinciam Asiae minoris dimissus est, ut novas nempe regi et toti regno denuo strueret insidias. Quis enim ignorat bellum hinc a Cyro in provinciam reverso et fratri et toti Asiae paratum? Missis a Parysatide pecuniis, Cyrus mercenarios Graecos conducendo par erat, quibus contra fratrem bellum clam excitaret, regnum fratri erepturus. Quod si rex fratrem suspectum haberet, mater, quae semper cum rege agebat, suspiciones diluere sciebat; profecto! — Cyrus regem oppressisset, nisi per Tissaphernem satis mature nuntium de consilio Cyri accepisset. Quo nuntio allato, regiam, ut narrat Plutarchus ⁶⁾, magnus motus occupavit, et belli causa paene tota in Parysatidem collata est. Itaque mulier libidine atque temeritate adducta bellum civile moverat, quo regnum, licet victoria apud Cunaxa reportata, longum tempus laborabat. At per deos immortales! jam demum, benevole lector, inauditam audias crudelitatem, immanem, insatiabilem, a qua animus, nisi est plane durus ac ferreus, qualis fuit Parysatidis, abhorrebit. Regios fratres apud Cunaxa certamine congressos mutua sibi inflixisse vulnera Cyrumque interfectum esse, inter omnes constat, quis vero Cyro pestiferam inflixerit plagam, non ita omnes in hac re conveniunt. Rex vero, uti accepimus, qui gloriam fratricidae sibi soli tribui vellet, omnes odio habebat, qui hac de re contendere cum ipso viderentur. Huic nimiae regis infirmitati, quotiescunque occasio data est, regina mater insidiabatur, ut poenas repeteret ab unoquoque, qui vel aliqua ex parte in dilectum filium commisisset.

⁵⁾ Ctesias c. 53. sqq. et Hall. Welth. IV. §. 336. ⁶⁾ In Art. 1019 10 16 17 18 19 20 21 22 23 24 25 26 27 28 29 30 31 32 33 34 35 36 37 38 39 40 41 42 43 44 45 46 47 48 49 50 51 52 53 54 55 56 57 58 59 60 61 62 63 64 65 66 67 68 69 70 71 72 73 74 75 76 77 78 79 80 81 82 83 84 85 86 87 88 89 90 91 92 93 94 95 96 97 98 99 100

Itaque Cari cuidam glorianti, a nemine, nisi ab ipso **Cyrum** esse interfectum, quum rex cervicem abscindi jussisset, **Parysatis**, hac poena non contenta: „noli rex, inquit, hunc nefarium tam levi defungi poena, a me mercedem recipiet, temeraria lingua dignam!“ Quo permissio, carnificibus imperat **Parysatis**, ut hominem per dies decem darent in tormenta, deinde, oculis efflossis, in aures fervens aes instillarent, dum exspiraret ⁷⁾. Simili de causa **Mithridates**, **Persa** adolescens, nobilissimo genere natus, qui gloriatus erat, a se **Cyrum** jaculo prostratum esse, in scaphas, urgente **Parysatide**, quum sermonem per eunuchum quendam comperisset, conjectus est. Id supplicii genus omnium, quod sciam, crudelissimum, ut paucis describam, hujusemodi fuit: Scaphas duas inter se congruentes accipiunt; in alteram poenae destinatum conjiciunt supinum, tum alteram inducunt et coaptant ita, ut praeter manus, caput et pedes totum corpus inclusum sit. Tum homini cibum praebent, quem si rejiciat, cogunt eum oculos fodiantes, ut sumat. Post cibum mel et lac confusum potandum in os et faciem ejus infundunt; tum ad solem obvertunt assidue oculos ejus, ut incubantium examine muscarum tota integatur facies. Quum autem intus faciat, quae homines, qui edunt et bibunt, necesse habent, (cetera quis nescit?) tineae lumbrici — (rem totam exponere, fastidiosum!) itaque paucis: **Mithridates** die demum decimo septimo miserrime interiit in scaphis ⁸⁾. — Supererat **Parysatidi**, quem peteret, ille qui jussus a rege **Cyri** caput et manus praeciderat, **Mesabates**, regis eunuchus quidam. Qui quum nullam ansam adversus se daret, technam in caput ejus commenta est hanc: Aliquando quum regem languentem alea, cujus ludi peritissima erat, ne temporis moram sentiret, delectaret, convenit inter eos, ut de eunuchos aliquo luderent, ita pacti, ut quinos uterque eunuchos reciperet fidissimos, ex reliquis, quem victor legisset, ut daret victus. Quum ei feliciter cecidisset alea, victrix sumpsit **Mesabatem**, utpote qui non erat de exemptis, et priusquam rex, quid fieret, odoraretur, tradidit eum carnificibus vivumque excoriari et corpus transversum in tres cruces tolli pellemque seorsum palo suffigi jussit ⁹⁾. Postremum etiam **Statira** ipsa, regis conjux, malitia **Parysatidis** interemta est. In quam, ut **Hidarnis** filiam, quum, ut supra commemoravimus, inveteratum concepisset odium neque immemor conviciorum esset, quae olim sibi ab **Statira** facta erant, quippe quae liberando **Cyrum**, regis insidiatorem, bellis regnum et miseris demersisset, tum maxime eam timebat, quod **Statira** apud regem conjugem omnia pollebat. Quapropter quum aperte eam amovendi facultas non daretur, insidias ei struxit occultas. In nulum simulabat amicitiam eique, quidquid vellet, gratificari videbatur, donec tandem **Statira** adducta est, ut denuo cum socru familiariter congrederetur atque adeo una cum illa coenaret, cum metu tamen et cautione quadam iisdem epulis utens. Itaque aliquando **Parysatis**, quum mensae perexigua avis quaedam raris-

⁷⁾ Plut. loc. cit. ⁸⁾ et ⁹⁾ Plut. eodem.

sima eaque delicatissima (ryntaces vocatur Persis) imposita esset, hanc dissecuit cutello, quem altero latere illeverat toxico atque ita alteram aviculae partem infecerat veneno. Quo facto, sinceram et puram partem ipsa mandit, venenatam vero Statirae dedit. Alii quidem rem aliter narrant, utut res se habet, Statira paucis post horis interiit veneno ¹⁰⁾, Facinus horrendum! exclamabis lector. At qualem se praebuit rex, quum dilectissimam conjugem magnis cum cruciatibus et doloribus animam efflantem videret? Nihil fecit, nisi quod, insontibus aliquibus, ad quos invidia hujus rei rejecta erat, necatis, matrem petentem ipsam Babylonem relegavit, nempe ut inde non ita multo post reversa denuo cum rege in gratiam rediret. Sic res se habebant in aula regia. — Hercle! rex non regebat, sed a mulieribus regebatur. Mulierum causa iste Artaxerxes mulierosus dissidet ab omnibus amicis. Tiribazo enim cuidam, optime non minus de rege, quam regno merito spondet filiam suam, sed ducit eam ipse; deinde ei spondet alteram filiam, sed ipse ducit et alteram; filio Dario, ut diximus, pellicem promissam atque concessam rapit, quo factum est, ut filius, Tiribazo suadente et auxiliante, contra patris vitam conjuraverit ¹¹⁾. Plura etiam de mulieribus regno perniciosis, imprimis de Parysatidis facinoribus narrare possem, nisi tempus et paginae prohiberent. Hoc solum in fine hujus sectionis monitum velim, etiam Tissaphernem, cum qui his regi vitam servasset, qui apud Cunaxa vicisset Graecosque callidis suis consiliis dividere scivisset ac tali modo regni ruinam retardasset, odio et malitia hujus monstri mulieris interemtum esse. — Sed satis de hoc monstro; transeamus ad exponendum aliud quoddam malum, quod Susis ex aula profectum est, ex quo quidem non minora, quam rebus, quas dixi, regno nata sunt damna; loquamur de filiis spuriiis.

§. VII.

De filiis spuriiis.

More quidem apud Persas recepto, filii spurii a regni successione summoti et repulsi erant natuque maximus ex legitimis in regno succedebat, nisi rex quibusdam de causis alium designasset; sed tantum abfuit, ut justii filii soli de designatione et successione inter se contenderent, ut evenit Xerxi *), quin etiam haud raro accidit, ut filii spurii justos fratres regno depellerent. Atque in tanto filiorum numero ita factum est, ut fere nemo regni potitus sit, quin ad id cladibus domesticis non minus quam bellis civilibus, quum plerumque filii ¹³⁾ provinciis praecessent, et quisque acquirere studeret, qui ab ipsius partibus starent, sibi viam patefecisset. Artaxerxes I., ut duos tantum

¹⁰⁾ Plut. et Otes. Pers. c. 61. ¹¹⁾ Plut. Art. *) Hic, ut supra diximus, auxiliante scilicet matre, Artemeni fratri, omnium natu maximo hac potissimum ratione antepositus est, quod ex patre jam rege, natu vero major ex privato adhuc susceptus esset. ¹²⁾ Herod. VII. 2. & 3. et Justin. II. 10. ¹³⁾ Brisson. p. 114.

commemorem, XVII¹⁴), Artaxerxes II. non minus CXV ex pellicibus suscepit filios spurios¹⁵). Jam vero audite lectores et stupescite, si paucis perstringam multa, ut ostendam, quantum sanguinis inter fratres regios Susis profusum sit, quantaque facinora horrenda ab regibus XIII., qui in Persis regnaverunt, patrata sint, regno perniciosissima. Xerxes II. filius legitimus Artaxerxis I. et successor, postquam non amplius quadraginta quique dies regnavit, a fratre spurio Sogdiano necatus; hic post sex menses ab alio fratre spurio Ocho, qui sibi nomen indidit Darii, (Graecis vocatur Darius Nothus; erat conjux Parysatidis) in cinerem coniectus est¹⁶). Quum ipsi frater Arsites insidias strueret bellumque ei inferret, victus ab Ocho doloque circumventus in ejus manus traditus et in cinerem coniectus est. Hoc mortis genus inventum est ab Ocho. Quum enim fratri Sogdiano, jurejurando interposito, pollicitus esset, ei nihil, si se tradidisset, nocitum iri neque fame, nec veneno, nec ferro, quumque Sogdianus, fretus his pollicitationibus, nihil de vita timens se fratri dedidisset, ab Ocho, quippe qui vellet putari, se stare juramento, cinere necatus est hoc modo: In altam turrim, cinere ad quandam altitudinem impletam, eum coniecit, in qua rota tam diu circumagebatur, donec injectus exspirasset; neque hoc mortis genus Judaeos latebat, uti discimus ex libri Maccabaeorum secundi capite decimo tertio. Dum haec in aula geruntur, seditiones oriuntur per omne regnum et in Asia et in Aegypto, quae non possunt sedari, nisi fraudibus, largitionibus, corruptelis cujusvis generis, quibus rebus regni imbecillitas omnibus patefiebat, atque ita satrapae impulsus sunt, ut quaecumque ipsis placerent, facerent. Artaxerxe II. regnante, bellum illud fraternum, ut nostis, cruentissimum, totum regnum dilacerans, exortum est, in quo frater ab se fratrem manu propria apud Cunaxa necatum esse praedicari se voluit. Artaxerxis II. filius Darius, qui a patre, quum tres justis fratres inter se de regni successione contenderent, (qua de re omnes Asiae occidentalis satrapae adducti sunt, ut contra aulam conspirarent) designatus erat successor, conjurationem fecit de causa, quam supra exposuimus, contra patris vitam — horribile dictu — cum quinquaginta fratribus¹⁷). Deprehensus in re cum sociis necatus est, conjuges quoque omnium cum liberis, ne quod vestigium tanti sceleris exstaret, interfectae sunt. Post haec luctu et moerore confectus „rex, quam pater, felicior“ decessit. Quo mortuo, Ochus (Artaxerxes III.) natu minimus rerum potitus, parem conjurationem timens, regiam implet cognatorum sanguine et principum strage, nulla non sanguinis, ut Justinus ait, non sexus, non aetatis misericordia commotus. — Ochus iste, omnium Persarum regum crudelissimus, Ocham, quae et soror et socrus ejus erat, vivam terra obrui; unum ex patruis cum centum ejus filiis et nepotibus uno die telis necari jussit¹⁸). Quo fa-

¹⁴) Ctes. Pers. c. 44. ¹⁵) Justin. X. 1. ¹⁶) Hall. Welth. §. 325 — 327. ¹⁷) Praeclare hac de re Justinus dicit: „adeone vile paternum nomen apud tot numero filios fuit, ut, quorum praesidio tutus etiam adversus hostes esse debuerat, eorum insidiis circumventus, tutior ab hostibus, quam a filiis fuerit?“ Justin. X. 1. ¹⁸) Hall. Welth. §. 375.

etum est, ut omnes provinciae rebellarent, atque regni ruina, nisi fraudibus, corruptelis, sparso inter satrapas semine discordiae, Graecisque potissimum militibus a rege conductis retardari non potuit. Oebus, ut supra dixi, ab eunucho Bagoa veneno necatus est, qui eodem modo Arsen, Ochi filium, duobus annis post interfecit. Tum Darius Codomannus, qui, quum haud arcta propinquitate cum rege conjunctus esset, ingentem ceterorum caedem effugerat, ejusdem eunuchi opera in solio collocatus est, regum tertius decimus, qui in Persis regnavit ultimus, qui, ut enique notum est, ab Alexandro Magno victus et a Besso interfectus est — princeps sine ulla dubitatione meliori sorte dignus!

§. VIII.

Νῦν δὲ στρώματα πλείω ἔχουσι ἐπὶ τῶν ἵππων, ἢ ἐπὶ τῶν εὐνῶν οὐ γὰρ τῆς ἵππείας οὕτως, ὥσπερ τοῦ μαλακῶς καθῆσθαι, ἐπιμέλονται.

Xenoph. Cyrop. VIII. 8.

De rege, regia potestate, perniciosa aulae constitutione satis commemoravimus; restat, ut leviter tangamus, quo modo haec vitia, quibus aula imbuta erat, in provincias et in omnes hominum ordines, postremo quasi pestilentia totum regnum invaserint. Luxuries aulica primo in satraparum aulas serpsit; satrapa enim Tritantaechnes, qui Babylonii imperabat, ut duos tantum afferam, quatuor habebat vicos amplos, quibus nihil aliud tributi inunctum erat, quam ut alerent praefecti canes Indicos, quorum habebat maximam multitudinem ¹⁾; alebat enim equos admissarios octingentos, equas autem decies sexies mille, qui equi non in usum belli, sed uni voluptati praefecti essent. Oroetes, Mysiae praefectus et Phrygiae, a mille satellitibus circumdabatur ²⁾. Eorum aulae ad regiam plane erant compositae; idcirco neque gynaecea, neque paradisi, nec venationes aut quae sunt id genus deliciae, iis deerant; eorum tabernacula militiae eadem, qua domi, referta erant opulentia ³⁾. In bello torques aureos, aureas armillas gestantes, equis insidebant aureis frenis ornatis. Immo eorum opulentia et luxuries saepe numero regis magnificentiam irridebat, quod mirum non est, si consideres, eos plerumque fuisse vel regis filios, Susis omni luxurie et omnibus deliciis educatos, vel cognatos affinesve. — Postquam Cambyses incepit, sorores in matrimonium ducere, istae incestae et nefariae, a naturali verecundia abhorrentes nuptiae in consuetudinem venire, ita ut (honos sit castis aribus!) cum matribus, filiabus sororibusque misceri fas et jura sincerent ⁴⁾, donec ad tempora Alexandri Magni ventum est, qui Persas docuit, *σέβασθαι μητέρας ἀλλὰ μὴ γαμῆν* ⁵⁾. — Ex quo rex Artaxerxes, ait Xenophon, et ejus familiares vino se obruere coeperunt, disciplina vetus in praeceps ruere coepit.

¹⁾ Herod. I. 192. ²⁾ Herod. III. 127. ³⁾ Anabas. IV. 4. ⁴⁾ Briss. p. 213. sqq. ⁵⁾ Plutarch. in libr. de ejus fortuna.

Persae tantum abfuit, ut more patrum amplius ad similitudinem disciplinae bellicae venatum irent viresque corporis venatu exercerent, ut contra in vivariis venarentur, in quibus feras nullo negotio ferire possent. Ex quo Xerxes I. praemia proposuit iis, qui novum aliquod deliciarum genus reperissent ⁶⁾, nequidquam antiquos Persas, aquae potores, pane contentos et nasturtio, semel die coenantes quaesieris. Semel utique, scite ait Xenophon, die cibum capiunt, incipiunt nempe eo tempore vesci, quo solent ii, qui maxime matutino prandent, tam diu comedere et bibere perseverant, quam diu solent ii, qui sero admodum cubitum eunt ⁷⁾. Proh! antiquos illos rigidos Persarum mores Medicus Lydiusque luxus brevi ita infecit corrumpitque, ut priscam frugalitatem, parsimoniam, continentiam funditus everterit.

Μοῦνοι δ' ἄσπετον ὄλβον ἐνὶ μεγάροισιν ἔθεντο,
 Ὅποτε Μιονίην καὶ Σάρδιας ἐξαλάπαξαν
 Χρῦσεά τοι κείνων μὲν ἐπὶ χροῖ' τεύχεα Φωτῶν,
 Χρῦσεα δ' αὖθ' ἵπποισιν ἐπὶ στομάτεσσι χαλινὰ,
 Χρυσῶ δ' αὖφ' ἰπποσιν ἐκοσμήσαντο πέδιλα.
 Τόσσοι γὰρ σφισιν ὄλβος ἀπέριτος.

Dionysius de situ orbis.

Igitur in veteris illius et sine arte mensae locum lauta et opipara convivia subierunt, et qui antea abstemii et aquae potores fuissent, mero sese onerare coeperunt. Herodotus eos mordet his verbis: „οἶνω δὲ κάρτα προσκείται“. Maxime vero in eam intemperantiam prolapsi sunt, regibus exemplo praeceuntibus. Quis enim historiam qui novit est, qui ignoret, quam fuerint vino dediti Cambyses, Darius, Artaxerxes I.? Tanquam ad pugnam se expediebant ad lagenam. Ideireo Aelianus: Μετὰ γὰρ τὸ ἐμπλησθῆναι τροφῆς, οἱ Πέρσαι τῷ τε οἶνω καὶ τοῖς προπόσεσιν εὖ μάλα ἀποσχολάζουσιν, οἰονεὶ πρὸς τὸν πότον ὡς πρὸς ἀντίπαλον ἀποδύομενοι ⁸⁾. Immo convivae cogebantur in epulis ad bibendum supra vires, ideoque contra morem erat Persicum, quum Assuerus in lauto suo convivio, ejus supra mentionem fecimus, praeciperet, „ut sumeret unusquisque, quod vellet“ ⁹⁾. Ceterum modestia, pudor, morum integritas aliaeque virtutes, quibus sublatis omnis humana tollitur societas, quemadmodum jam tempore Darii Hyst. demersae sint, is qui accuratius nosse studebit, adeat Herodoti ¹⁰⁾ librum, in quo exponit historiam legatorum Persarum, in convivio regis Macedonum Amyntae trucidatorum, quod hoc loco narratu turpe est. Quibus moribus paulatim homines etiam infimi ordinis infici necesse fuisse, quem latet? In locum pristinae fortitudinis, temperantiae aliarumque virtutum succedebant ignavia, mollities, incontinentia. Quid? Nonne Persae, Cyro duce, paucis decenniis, dum antiqui mores vigeant, tota fere Asia potiti sunt? Adeoque etiam eorum mulieres, ut veteres Spar-

⁶⁾ cf. Cic. Tusc. V. 7. ⁷⁾ Cyr. VIII. 8. ⁸⁾ Var. hist. I. XII. c. 1. 16. ⁹⁾ Esther. c. 1, 8. ¹⁰⁾ V. 18, 19, 20.

tanae vel Germanae virtute excelluerunt, ut acies, proelio contra Astyagem commisso, quum jam cederet, illis adhortantibus atque urgentibus restitueretur ¹¹⁾. Sed quos quidem tum temporis invictos bella praestiterant, non ita multo post in luxuriam Medorum et Lydorum, gentium subditarum lapsos, otium ac desidia hunc ad modum superavit, ut natio victa victores presserit. Neque vero adeo est mirandum, Persis id tam brevi accidisse, si consideraveris, vere ac recte ab Herodoto contendi id quod in fronte hujus meae commentationis inscriptum est, Persas videlicet omnium nationum maxime peregrina instituta admisisse imitatosque esse. Uti autem omnes reges post Cambysem prorsus in Medorum vivendi rationem abivere, sic omnes Persae ab eo inde tempore plane δούλοι Μηδικοὶ facti sunt, et corpore et animo fracti — homines voluptarii. Nihil fere post Darium Hystaspis filium re militari valebant amplius, neque quidquam ab iis praeclare bello gestum est, nisi peregrinis militibus, Graecis conducticiis auxiliantibus; Graecos enim mercenarios fere omnibus proeliis a „Magnis Regibus“ factis discrimen fecisse, nemo, paululum qui noverit antiquitatis historiam, non concedet. Facile igitur conjectura aliquis assequatur, quid necesse fuerit evenire, quo tempore molles, enervati isti Persae cum magno illo Alexandro, fortissimo, memoria omnium celebratissimo, Macedonum rege Graecorumque duce decertare coacti sunt. Ad quid enim tum aureae catervae, purpureis indutae tunicis — quo hastatorum millia decem, hastas argento ornatas gestantium — quorsum turmae muliebriter propemodum cultae, luxu magis quam decoris armis conspicuae — ad quid doryphori ¹²⁾ — quo decem millia Immortalium, ignave scilicet morientium — cui rei tot equitum millia, equis aureis frenis instructis insidentium, mollius nempe, quam lectis — cui bono aureae virgae, quibus equi regerentur? — ad quid turbae feminarum reginas comitantium — cui bono greges pellicum et spadonum — ad quid denique „Rex Regum“ ipse, curru, quasi numen divinum, auro et gemmis ornato, vectus, cidari et diademate indutus, zona aurea muliebriter ciactus? Paucis! quorsum omnes aureae istae nugae et quisquiliae, quibus rex, ne dicam adjutus, sed impeditus exercitum apud Issum contra Macedonum aeneam phalangem duxit? Dispar Macedonum acies, ut Curtius ait, erat: „equis virisque, non auro, non discolori veste, sed ferro atque aere fulgentibus. Agmen et stare paratum et sequi; nec turba nec sarcinis praegrave, intentum ad ducis non signum modo, sed etiam nutum“ ¹³⁾. Quid valere Persae molles et servi contra Graecos et Macedones, milites liberos, bellicosos, labore duratos? — Neque, hercle! adeo difficile Alexandro redditum est negotium, a Persis istis ad Granicum, Issum Arbelaque victorias deportare, ita ut Alexander paulo ante pugnam apud Arbela a Parmenione e somno suscitatus atque rogatus: quid id rei esset, quod somno indulgeret, perinde ac si vicisset, non vero maximum proelium initurus esset, subridens cum cavillatione quadam exclamare pot-

¹¹⁾ Justin. I. 6. ¹²⁾ Curtius III. 3. ¹³⁾ Loc. cit.

uerit haec fere: nonne tibi jam vicisse videamur, quum hostis in propinquo, neque amplius necesse sit nobis, eum per solitudines ac deserta persequi? Itaque fit, ut „saturam non scribere“ difficile sit.

— Tantae molis erat, Persarum vincere gentem! —

Interiit igitur regnum Persarum antiquum, postquam non amplius ducentos viginti octo annos stetit (inde ab anno quingentesimo quinquagesimo octavo usque ad annum trecentessimum tricesimum a. C.). Tantum vero abest, ut miremur, tam brevi illud corruisse, ut contra vix intelligamus, stare id tam diu potuisse, neque jam centum annis prius, statim post pacem illam, quam dicunt Cimonis, quae Persis non solum maxime ignominiosa, sed etiam damnosissima fuit, collapsum fuisse. Hoc utique loco operae esset pretium, in causas, quibus interitus sit retardatus, inquirere, neque esset a nostro proposito alienum, — sed tempus et paginae movent, ut huic nostrae commentationi finem imponamus. Hoc tantum monitum velim, discordiis potissimum et bellis gravissimis non ita multo post illam pacem in Graecia exortis Persici regni ruinam retardatam esse. Illis enim bellis inter Graecos saevientibus, ut Peloponnesiaco, Corinthiaco, bello Thebanorum contra Spartanos gesto, sacro porro, sive Phocensi Graeci impediabantur, quominus Persas adgrederentur; quin etiam his facultas data est, res Graecorum magis in dies perturbandi et miscendi — corrumpendo pecunia aliisque malis dolis aliam contra aliam civitatem sollicitandi efficiendique, ut civitates penitus se invicem frangerent conficerentque. Quibus rebus omnibus Persis adeo contigit, ut maculam per pacem Cimonis ipsis adpersam pace ab Antalcida composita abluerent. Neque enim Persis ignotum erat illud antiquum: „divide et impera“; sexcenties etenim reges, praesertim quum pecuniis abundarent, effecere, non solum discordias ut sererent inter hostes, verum etiam ut inter eos pacificatorum nec raro quasi dominorum susciperent personam. — Sic res sese habebant apud Persas, donec ad ea tempora perventum est, quibus Alexandro M., Graecia discordia dilapsa, dilaniata atque in potestatem Macedonum redacta, bellum parare visum est, ut Persas ulcisceretur eorumque labans, ruinosum aedificium funditus everteret.

C o n c l u s i o.

Persuasum jam, benevoli lectores, ex iis, quae exposui, vobis esse existimo: Persarum regnum fuisse tyrannidem, cui parem in historia nequicquam investigaveris; comperistis, credo, regem solum fuisse, quem propter homines Persae, ne dicam, cives, sed prorsus servi adessent, totum regnum cum omnibus deliciis ipsius fuisse; audistis, regis libidinem nullis finibus circumscriptam fuisse, ejusdemque aulam omnibus facinoribus, ab ipso, mulieribus, spardonibus spurisque patris, quae tantum regnum funditus everterent, locum reliquisse; percepistis, quomodo ex ista nefanda ac detestabili aulae conditione bella quum domestica, tum civilia manarint; quomodo virus ex aulica luxuria, tam corporis quam animi vires deperdenti, enatum — in omnes hominum ordines paulatim serpsit, ita ut Persae homines muliebres viris fortibus resistendo haudquaquam pares fuerint — quibus omnibus diligenter ponderatis, fore spero, ut mihi concedatis; non nimium me contendisse affirmantem: aulam interitus causam fuisse primariam. Itaque verissimum, quod est in proverbio:

„Regis ad exemplum totus componitur orbis.“